



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

4. Clui, Bona Proposita, Desideria vota.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Nam postquam libro de bono mortis superius indicato dixisset in amore Clavum esse, subiungit: *Clavus est libido, clavus tristitia, clavus iracundia: clavi sunt omnes passionēs, quæ velut veru quoddam animam nostram penetrant, & insigunt cor-
Pulchra dignaque Ambrosio comparatio, quam tibi (a) iterat: nos illud inde sumimus, cum virtutum exercitatione vitia passionēs vitiosæ pellantur, rectè di-
ci virtutis studiosum Clavo clavum extundere.*

Quod si finis Clavorum examinetur, estis præcipuus, qui effectus etiam ultimatus dici potest, coniunctio, copulatio, arctissima unio: Clavis coniunguntur asseres, & firmissimè nectuntur. Idem facit Virtus, quæ bonos inter se coniungit, voluntatem rationi copulat, & quod maximè necessarium in Architectonicâ Christianâ, ad constituendam Domum Sapientiæ, animam, totumque hominem connectit Deo & configendo unit. An non magna est Virtutum & Clavorum analogia?

(c) Lib. 3. de Virg.

ARTICVLVS IV.

CLAVI

Bona Proposita, Desideria, Vota.

Hæc quoque faciunt, quod clavorum est, ut quidpiam in anima figatur, & in ea vel immobiliter, vel firmiter hæreat. Tibi vivendum est secundum Christi regem, sobriè, & iustè, & piè, vis ut non elabatur ex mente sic vivendi studium, infige illud ferventi desiderio, imprime acuto deliberatæ voluntatis proposito, firma constanti animi decreto: hærebit firmiter: vis ut eam immobiliter? adjunge *Votum*: quod facit, ut ne quidem

dem

dem extrahi possit, quod sic est infixum : per Votum omnium avulsionis separationisque potestas, etiam si maxime velles, auferitur. Ut haud incongruè Votum comparetur acutissimo Clavo, cuius cuspis postquam duo coniunxit, obliquatur, ut extractionem, & consequenter dislocationem eorum quæ copulaverat, nulla ratione patiatur. Hinc frequens est apud Magistros vita spiritualis, ut virtutum, ita votorum cum Clavis cuspidatis, obliquatis-ve comparatio. Eam in centuriis de CHRISTO CRUCIFIXO HONORATO, eiusque Amatore sæpenumero expressimus. Titulos hic ponere lubet quoniam declarant, quomodo Amator Crucifixi, tanquam Architectus Christianus Clavus istis symbolicè peritè utatur. I. In Cruce Pœnitentiæ tribus spiritualibus Clavis configitur. *Primus* est Odium peccati, quo dextera manus. *Secundus*, Patientia, quo sinistra. *Tertius* Humilitas, quo pedes configuntur. Clavum, Odii peccati infigit Amor DEI super omnia dilecti. Clavum Patientiæ, Consideratio supplicii gehennalis. Clavum Humilitatis, contemptus iactantiæ ac vanitatis mundanae. *Centuria* 1. *Num.* 57. II. In Cruce, quæ est vita religiosa, tribus votorum Clavis configitur. Clavi sunt, 1. *Votiva* Pauperas. 2. Castitas. 3. Obedientia. *Centuria*

Num. 58. III. Crucifigitur Clavis cum Christo, corporaliter quidem affectu. Spiritualiter verè effectū. *Centuria*

1. *Num.* 52.

(***)

ARTI-